

In Opuscula Francisci Sylvij.

mihî ostendere promptum esset, si id ferret instituti mei ratio. Cæterum non fuisse Sylvium ad laxiora propensum evincunt inprimis ejus additiones ad Binsfeldium, quas passim posuit ut laxiora cohereret: Et ad Instructiones Pastorales S. Caroli Borromæi nihil profectò laxum sapientes, & quæ propterea quod quemdam rigorem præ se ferre videntur, nonnullis tantum non sunt, quanti esse deberent. Præterea illa quæ tradit 1. 2. q. 19. art. 5. Quæstio 8. §. *Petes*, & ibidem q. 74. art. 8. quæstio 3. concl. 3. §. *Cæcilius*, & quæstio 6. concl. 2. §. *probat* 3. & concl. 3. §. *Confirmatur*. Item q. 85. art. 6. quæstio 2. in fine, & q. 96. art. 4. concl. 3. §. *Controversia*. Item 2. 2. q. 69. art. 1. & q. 104. art. 5. Item 3. p. q. 60. art. 8. quæstio 3. concl. 4. & q. 80. art. 11. quæstis 2. 3. & 4. Item Supplem. q. 9. art. 1. quæstio unico & art. 2. quæstio 1. Item in his Resolutionibus Verbo *Abbas II.* Verbo *Motus Carnis* in Respon. ad 5. Verbo *Oratio*, Verbo *Religiosa VII.* Verbo *Simonis I. II. & III.* Illa inquam quæ Sylvius tradit in istis locis, & alia quamplurima, satis probant ipsum non fuisse ad molliora propensum, sed veri reliquæ tenacem, ut præterea ostendo annotatione ad Oraciones 13. variorum casuum & difficultatum resolutorias.

Ut autem ad id revertar quod mihi magis est in proposito Lectorem monitum velim, quòd cum in hac editione nihil imprimendum decrevissem, nisi quod vel propria manu Sylvij esset scriptum, vel quod ipso adhuc vivente fuisset impressum, nequid fortè spurium pro genuino in hanc Editionem ingeri contingeret, nihilominus inserui, & ordine suo imprimi curavi eam Resolutionem quam hic habes pag. 521. Verbo *Liberum Arbitrium II.* ex quodam Impresso cui titulus est, *Veritas & Equitas Censura Pontificia Pij V. & Gregor. XIII.* &c. mihi ex Bibliotheca Seminarij Regij Duacæ subministrato, quia videtur esse indubitata Sylvij, cum non sit credibile aliquid suppositivum in Scripto illo dicato Innocentio X. irrepisse: Quamvis mirum fortè videri possit illam 1. Septemb. 1644. datam, ad annum usque 1649. delituisse: & mox, idest, altera die à morte Sylvij fuisse impressam. Interim cum in eodem Scripto dicatur, præfatam Resolutionem collectam esse, editamque studio & labore Georgij Galopini Monasterij Sancti Gisleini Ordinis Sancti Benedicti Religiosi præpõe Montes Hannoniæ, ego omnem diligentiam adhibui ut ex istius Abbatæ monumentis certior reddi possem de genuitate hujus resolutionis. Verùm nihil inde certi potui comparare, quoniam tota illius Monasterij Bibliotheca cum Archivis ob bellorum pericula, in locum tutiorem erat transportata, & confusè ac veluti in cumulo posita: quod cum aliquando referrem Amplissimo D. Joanni de S. Gislain prædicti Monasterij quondam Religioso, postea per annos 22. Abbati meritiissimo Monasterij S. Dionisij ejusdem Ordinis itidem præpõe Montes; Vir ille dignissimus, & de rebus sui Monasterij optimè instructus mihi dixit se bene meminisse dum adhuc esset in minoribus de Scriptis & Adversariis præfati Domini Galopini diligentem fuisse factam perquisitionem, quòd nullibi in Monasterio reperiretur. Cum autem compertum postea esset, fuisse illa concessa quibusdam Religiosis, ab his quoque non semel fuisse repetita, sed hæstenus necdum restituta: fortè (suscipabatur idem Amplissimus) quia ab illis ipsis Religiosis Domino Galopino prius fuissent tradita, adeoque non ad Galopinum, sed ad Religiosos istos pertinere.

Mirabitur etiam forte Lector nonnullas Resolutiones hic offendere de Gratia, de Prædestinatione; de Scientia & Voluntate Dei, atque his similes, præsertim ad casus conscientia nihil pertinentes. Sed meminere quæto Sylvium *magnis & parvis debitorum*, ut se esse ait ipso verbo *Scientia Medea*, omnibus respondendo fuisse facillimum. Præterea, missitatum aliquando fuerat Sylvium circa ista mutasse sententiam, ut ipsemet innuit præfat. ad 1. part. D. Thom. dum ait; *Ex his obvium est intelligere neque nos antiquam de efficaci motione ac operatione Dei mutasse sententiam, neque illam Sedi Apostolica ingratam &c.* De quo etiam falso rumore alicubi conqueritur ipse Estius. Mirum igitur esse non debet Sylvium de istis, quid sentior sentiret fuisse interrogatum, & respondisse.

Singulare est Resolutioni verbo *Vita Terminum*, quod præter approbationem omnibus Resolutionibus communem, habeat illa specialem: quod contigisse autumo, quia cum ibidem Auctor respondeat quæstioni egregie per Epistolam à clarissimo viro propositæ, & ipsa responsio communicanda fuerit expertissimis Medicis à quibus mota fuerat, prius separatim impressa fuit antequam in aliarum ordinem redigeretur. Non possum etiam, non meminisse præclara illius Resolutionis quam hic habes Verbo *Sanctorum Invocatio*, ex qua (ut quod sentio dicam liberè) intelligi potest quàm frustra nuper Lovanij circa difficultatem illam tot sunt pulveres excitati.

Petes: Cum non habeamus hic Resolutiones nisi usque ad annum 1644. datas, obierit autem dumtaxat Sylvius anno 1649. An ergo totis illis quinque annis, quibus supervixit, nullas dedit Resolutiones?

Respondeo: Nullas impressit. Aliquas tamen & non paucas quidem dedisse dubitari nequit. Quis enim fieri potuisset, ut talis ac tantus Vir ad quem pro consilio confluebant undequaque omnes & cujus cum ætate fama crescebat, ac præcrebrescebat, postremis vitæ suæ annis sensibus & judicio integerrimus, licet corpore debilis & studio ac laboribus confectus: qui, inquam, fieri potuisset ut ab eo destitissent petere consilia, à quo hæctenus emanarant tam salubria, tam sapientia! Præterea, vir quidam Religiosus qui ultimis ejus vitæ annis & usque ad mortem illi adfuit, mihi aliquando retulit sibi constare, præter Resolutiones quas habemus impressas, alias quamplures Sylvium dedisse, & manu propria scriptas reliquisse; sed à me omni diligentia conquisitas hæctenus non potui reperire. Sequitur